

DE MODO ORANDI.

PROLOGUS.

Domino et Patri charissimo H. Munusculum hoc dilectionis meæ ea vos precor benignitate suscipite, qua me illud scio devotione obtulisse. Dictatum brevem de virtute orationis inelimito licet sermone conscriptum misi charitati vestræ, in quo distinctum habetis quibus modis orantis animus inter precum verba per compunctionem accenditur; demonstratum etiam cur illæ a nobis Scripturæ, quæ petitionis formam non habent, pro nostra sive aliorum salute postulandis inter orandum proferuntur. De oratione ergo orationem postulaturus scripsi, cujus dulcedinem quanto jam longo pietatis studio perfectius gustastis, tanto libentius donum accipere et donum impendere debetis. Valet.

CAP. I. *Quod ex propriæ miserix et divinæ misericordiæ consideratione ad orandum Deum incitari debemus.*

Quo studio et quo affectu a nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul et ejus misericordia considerare possumus. Quid enim efficacius hominem ad orandi studium excitaret quam miseria et calamitas tantorum malorum, quibus addictus premitur? Et quid jucundius ad effectum orandi traheret quam misericordia Conditoris sui, quam inter mala sua toties experitur? Ne ergo mens humana et orandum pigra sit, hinc sua necessitate compellitur; ne autem trepida et diffidens oret, illinc pietate Dei provocatur. Istis duabus alis, miseria scilicet hominis et misericordia Redemptoris, oratio sublevatur, quia dum mens alterna horum consideratione se ad devotionem incessanter excitat, quodam spiritualis desiderii impetu sursum levata volat. Sic ergo orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur aut præcedat. Nam et ii qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo, aut aliud quam oportet petendo, facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus quam oportet digne petendo per desidiam tepescunt. Primum igitur necesse est, ut si prudenter et utiliter Dominum orare volumus, jugi meditatione animum nostrum exerceamus, et in consideratione miserix nostræ dicamus, quid nobis necesse est petere, in consideratione autem misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Cogitemus quam brevis sit vita nostra, quam lubrica, via quam mors incerta. Cogitemus quod lugentes in hanc vitam intravimus, cum dolore pertransimus, cum luctu exituri sumus. Cogitemus quantis amaritudinibus admistum sit, si quid etiam dulce aut jucundum in via hujus vitæ occursum nobis al-

A ludit; quam fallax, quam suspectum, quam instabile, quam transitorium est quidquid hujus mundi amor parturit, quidquid species et pulchritudo temporalis promittit. Alia sunt mala, cum quibus nascimur, et processu temporis sive occulta Dei gratia, sive manifesta industria, liberamur. Alia vero in hanc vitam nobiscum veniunt, et a nobis ante mortem non recedunt. Alia item sunt mala quæ ex tempore nobis accrescunt, et rursus decursu temporis abeunt. Alia autem post nativitatem contrahimus, et ante mortem non evacuamus. Et quis omnia mala vitæ hujus enumerare possit? Ut enim prætermittamus ea mala, quæ omnes communiter homines opprimunt, qualia æstimamus esse secreta pericula singulorum, quorum sibi quique consciti sunt? Si cogitare quisque voluerit quæ ab ineunte ætate mala fecerit, quæ sustinuerit, et constituat ante oculos suos præterita tempora et dies vitæ suæ, consideretque diligenter quot inanes labores tulerit quoties pro amore hujus vitæ frustra desudaverit, quoties in laboriosis conatibus fallaces exitus invenerit, et post longos discursus requiem necdum ullam adeptus sit, cognoscet quid de hac vita judicare possit. Cum autem vitæ hujus ærumnam considerat, etiam quæ sit patriæ cælestis suavitas atque dulcedo attendat, et perpendat quid invenerit, quid perdiderit, ubi jaceat, unde ceciderit, ut ex utroque intelligat quantum sibi in hoc exilio lugendum sit. Hinc enim Salomon dicit: *Qui addit scientiam, addit et dolorem* (Eccl. 1), quia quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. Postremo superest ut in memoria malorum nostrorum etiam misericordiæ Dei recordemur, quia fiducialius de futuro ejus miserationes requirimus, si quemadmodum in præterito nostri miseratus sit, cogitemus. Revocemus ad memoriam bona, quæ tribuit, et quod in periculis sæpe constitutos clementer eripuit, nec unquam peccatis nostris quominus miseretur vinci potuit, oblitos sui de se admonuit, aversos a se revocavit, venientes ad se benigne suscepit, penitentibus indulget, perseverantes custodivit, stantes tenuit, lapsos exerit, malas delectationes in amaritudines commutavit, sed rursus salubriter amaricatis consolationes suas tribuit. Postremo autem tribulatione purgatis quietem et pacem perfectam restituit, qui nec peccantibus unquam defuit ut corrigeret, nec justis ut custodiret. Quisquis hujusmodi meditationibus ante orationis tempus animum suum exercuit, nec improvidus fortassis nec tepidus ad orationem venit. Meditatio namque assidua scientiam parit, scientia vero parva ignorantiam pellit, et compunctionem parit, compunctio autem parva desidiam fugat, et

devotionem parit, devotio vero orationem perficit. Scientia est, quando homo ad agnitionem sui illuminatur. Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Devotio est pius et humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur. Territus enim magnitudine malorum suorum animus, et diffidens de propriis viribus, ad Deum se convertit. Et tanto ardentius patrocinium illius expetit, quanto apertius sibi nihil extra Deum relictum esse videt, in quo confidere possit. Devotio igitur est conversio in Deum pio et humili affectu. Humilis enim est ex conscientia infirmitatis suæ, pius est ex consideratione divinæ clementiæ. Hæc in se tres principales virtutes habet, fidem, spem, charitatem. Neque enim homo per devotionem se ad Deum converteret, nisi crederet se ab eo salvari posse, et speraret eum misereri velle. Postremo nisi eam plus quam mala sua diligeret, nequaquam, illa fugiens, refugium sibi in ipso eligeret. Credit ergo, sperat et diligit. Credit potentiam, sperat misericordiam, amat custodiam. Nihil ergo aliud est oratio quam mentis devotio, id est conversio in Deum per pium et humilem affectum, fide, spe, charitate subnixæ. Sed quia multis modis mens per devotionem accenditur, rursum quia ipsa devotio mentis variis modis voce promitur, debemus aliquas sigillatim orationis species distinguere, ut apertius valeamus ejus virtutem indicare.

CAP. II. De tribus speciebus orationis et generibus supplicationis.

Tres sunt species orationis, supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est sine determinatione petitionis humilis et devota precatio. Postulatio est determinatæ petitioni incerta narratio. Insinuatio est sine petitione per solam narrationem, voluntatis facta significatio. Tria sunt genera supplicationum, captatio, exactio, pura oratio. Captatio est id quod fit ante postulationem ad præparandum et inclinandum animum auditoris, quod tribus modis facimus. Primo cum aliquid dicimus, quod personam vel causam nostram commendat, sive meritum nostrum, sive infirmitatem, sive aliud aliquid enumerando, quod ad nostram causam vel personam commendandam valeat apud eum, cui nostram petitionem offerimus. Secundus modus captationis est, cum aliquid in laudem ejus proferimus, quem oramus, per quod apud animum nostrum charum eum et acceptabilem esse significamus, ut nostra charitate vicissim ejus dilectionem mereamur. Tertius modus captationis est, quando aliquid dicimus, per quod apud animum auditoris causa adversarii nostri sive persona deprimitur, ut odio potius quam amore digna videatur. Isthis tribus modis fit captatio. Hoc autem genere supplicationis frequentissime divina Scriptura uti solet. Hoc enim agimus, ubicunque laudes Dei canimus, ubicunque infirmitatem nostram, ubicunque malitiam adversariorum nostrorum recitamus. Et omnino quidquid Dei auribus dignum, et nostræ necessitati congruum ante petitionis pronuntiatio-

nem eloquimur. Exactio est id quod fieri solet post factam postulationem, quando auditorem (ne petitio nostra apud eum in oblivionem veniat) quadam (ut ita dicam) importunitate atque instantia frequenter memorem facimus. Quæ memoria tribus modis renovari videtur, videlicet quando aliquid vel de persona ejus, vel de persona nostra, vel de causa nostra iterato dicimus, unde vel nos vel causam nostram atque petitionem in ejus animo renovemus. Hoc genus supplicandi quam apud homines importunum videtur, tam apud Deum gratum atque laudabile est. Pura oratio est, quando ex abundantia devotionis mens ita accenditur, ut cum se ad Deum postulatura converterit, præ amoris ejus magnitudine etiam petitionis suæ obliviscatur; et dum amore ejus, quem videt, perfrui vehementer concupiscit totaque jam illi vacare desiderat, ejus etiam, pro quo venit, curam libenter postponat. Hoc genus orandi in forma est, et quam præ cæteris omnibus unicum, tam est apud Deum præ cæteris omnibus pretiosum. Sed inter hæc tria supplicationum genera infimum locum captatio, medium exactio, supremum et excellentissimum pura oratio obtinet. Quia captatio timorem, exactio fiduciam, pura oratio perfectum habet amorem. Sciendum est etiam, quod supplicatio aliquando fit per sola nomina sicut est illud: *Misericordia mea, refugium meum, susceptor meus, liberator meus, Deus meus, adjutor meus* (Psal. cXLIII). Aliquando per sola verba sicut est respice, miserere, placare, attende et fac. Aliquando simul per nomina et verba sicut est illud: *Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ rex meus, et Deus meus* (Psal. v). Sed illud genus supplicationis, quod per sola nomina fit, quo magis est foris significatione imperfectum, tanto magis intus est abundantia dilectionis plenum. Affectus enim hoc proprium habet, quo quanto major et ferventior intus est, tanto minus foris per vocem explicari potest. Illud vero genus supplicationis, quod per sola verba exprimitur, minorem quidem isto devotionem indicat, majorem autem illo, quod nominibus simul et verbis, plena videlicet significatione pronuntiatur. Illud igitur, quod solis nominibus fit, ad puram orationem pertinere videtur, quod solis verbis ad exactionem; quod nominibus simul et verbis ad captationem. Ita ut pura oratio magis in jubilum convertatur, et appropinquet Deo, perveniat citius, et efficacius obtineat.

CAP. III. Quid postulatio et quid insinuatio.

Postulatio est determinatæ petitioni incerta narratio, sicut est illud: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Psal. L). Hæc tribus modis fit, obsecrando, rogando, simpliciter postulando. Obsecratio est, quando vehementior necessitas devotius precibus insistere cogit. In mediocribus causis rogamus, in minimis simpliciter postulamus. Habent igitur hæc tria differentia suas, quia excellentissimum est obsecrare, medium rogare, minimum simpliciter postulare. Insinuatio est

sine petitione per solam narrationem voluntatis A facta significatio. Hæc quoque tribus modis fit, timore, fiducia, contemptu. Timore fit, quando vel causa magna est quam agimus, vel magna persona est quam rogamus, sicut est illud : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (Joan. xi). Rogare enim voluit, ut fratrem suum mortuum Dominus suscicaret, sed quia propter magnitudinem causæ et reverentiam personæ extimuit, insinuare potius quam postulare elegit. *Domine*, inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Dixit unde voluntas intelligeretur, sed temeritas non reprehenderetur, ut vel non exaudita repulsæ non pateretur opprobrium, vel exaudita voluntatis suæ consequeretur effectum. Fiducia fit insinuatio, quando vel de facilitate causæ, vel de B benevolentia personæ confidimus, et ideo desiderium nostrum patenter exprimere negligimus, quia nos obstinere posse sola insinuatione speramus. Sicut est illud, quod in nuptiis deficiente vino Domino mater dicit. *Vinum non habent* (Joan. ii). Non dixit : Peto ut defectum poculi, vinum creando aut commutando, suppleas, sed hoc maternæ reverentiæ privilegium deberi existimavit, ut quidquid vel innuendo se velle significaret, pati a Filio repulsam non debuisset. Et hoc quidem justum fuerat, si tale aliquid ab eo petivisset, quod ille facere posset secundum naturam, quam ab ea sumptam gerebat. Nunc autem quodammodo juste reprehenditur, quia ab ea natura, quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Et dicitur ei : *Quid mihi et tibi est mulier?* (Ibi.) Miraculum enim facere Dei virtus est, non hominis, et ideo cum a matre Christus homo de miraculo requiritur, idem non quasi homo, sed quasi Deus mulierem non matrem de præsumptione causatur. Maria enim a Christo non quasi mater exigere Filio, sed quasi mulier (si necesse fuisset) miraculum humiliter postulare, debebat a Deo. Contemptu fit insinuatio quando vel causa vilis est, vel persona quæ rogatur humilis. Quæ omnino ab oratione divina excluditur, apud homines autem maxime superbos et potentes magno studio exercetur. Et sicut in supradictis ostendimus, ita quoque in his tribus differentiam invenimus. Insinuatio enim ex fiducia perfectis convenit, ex timore incipientibus, ex contemptu malis. Dehinc reliqua, quæ de oratione tractare proposuimus, abnectenda sunt.

CAP. IV. *Cur orantes legimus interdum ea, in quibus nullæ petitionis exprimuntur verba.*

Quosdam siquidem movere solet, quod in orationibus nostris cum Deum sive pro nostra sive pro aliorum salute petere volumus, illos etiam nunquam psalmos, qui vel petitionis verba non habent, vel ad nostram petitionem non pertinent, decantare solemus. Et de aliis etiam Scripturis, quas in orationibus frequentamus, similem absurditatem producant, cum ejusmodi sunt, ut vel formam orandi non habeant, vel illi, quam nos agimus, causæ non concordant. Quid enim, aiunt,

prodest in oratione illa verba dicere, quibus invenimur vel nihil, vel aliud quam necesse est a Deo postulare? Non orat sed subsannat potius, et ad iracundiam provocat Deum, qui cum ante conspectum ejus quasi postulaturus venerit, subito se ad alia (quæ nihil ad rem pertinere videntur) replicanda convertit. Ecce enim, inquit, Deum pro indulgentia peccatorum nostrorum deprecari volumus; quid nobis ad hoc prodest, si vel *Quare fremuerunt gentes* (Psal. ii), vel : *Attendite popule meus* (Psal. LXXVII), vel alium hujuscemodi psalmum decantamus? Nonne ridiculum est, ut talia canentes orare nos credamus? Istud fortasse, aliqui dicant, et existiment nihil utilitatis esse quoties talia nostris orationibus admiscemus; sed quisquis supradictas orationis species diligenter prospexerit, qualiter etiam ista in orationibus dicta valeant facile discernet. Nam hoc genus orandi sæpe ad impetrandum invenitur efficacius quam illud etiam, in quo manifeste petitionis modum orantes explicamus. Et licet hoc, ut diximus, ex his quæ superius memorata sunt, satis evidenter intelligi possit, si tamen hic specialiter demonstretur, quid nisi amplius veritas patescit? Hoc interest quando oramus hominem, et quando oramus Deum, quod homo necessitatem nostram scire non potest, nisi ab alio doctus fuerit, Deus autem scit, etiam antequam petatur, quid nobis necesse sit. Homo igitur, qui rogatur, per narrationem nostram edocetur, ut sciat quid velimus; per supplicationem nostram pulsatur, ut annuat quod petimus. Sed in illa, quæ ad Deum fit, oratione narratio necessaria non est, nisi forte homo ad hoc narret, ut ipse suam petitionem melius intelligat, ut et per narrationem suam admonitus quid petat consideret, et per considerationem petitionis suæ excitatus devotius oret. Sane quantum ad Deum pertinet, sola supplicatio sufficit, quia, ut diximus, Deus non necesse habet doceri ut sciat, sed supplicandus est ut annuat. Sed nullo alio modo citius Deus ad annuendum flectitur, quam si precantis animus toto devotionis affectu ad ipsum convertatur. Quæcunque ergo sunt verba orantis, absurda non sunt, si tantummodo ad hoc competenter proferri possint, ut vel orantis affectum ad moram Dei excitent, vel (quod amplius est) si jam amore ejus flagrat, excitatum demonstrent. Demonstrent autem, non ut Deum occulta nostra quasi nescientem doceant, sed ut nos dum internum nostrum desiderium feris loquimur, ex ipsis nostris verbis amplius ad amorem inflammemur. Sola ergo cordis devotio quantum ad Deum sufficere poterat, nisi ad hoc etiam in voce formaretur oratio, ut mentem orantis ad majorem devotionem accendat. Nam, sicut diximus, si petitioni inserta narratio est, non Deus docetur, sed orans admonetur considerare quid petat, ut devotius, oret. Si vero sola supplicatio est, quia devotionem intus in corde esse significat, ad majorem devotionem animum inflammat. Sed quia diversis modis humanus affectus ad amorem Dei provocatur, libet nunc ipsos sigillatim

modos distinguere, et distinctos per exempla demonstrare.

CAP. V. *Tribus potissimum modis orantium affectus in Deum excitari.*

Sed sciendum primum, quod fere omne hoc genus orandi, quod quibusdam prorsus ab orationis usu excludendum videtur, ad captationem pertinet, quam videlicet captationem, quamvis superius quasi speciem supplicationis annumeravimus, secundum quamdam tamen largiorem consuetudinem non solum supplicando, sed etiam postulando et insinuando captare solemus. In captatione autem benevolentia auditoris comparatur. Quod tribus modis fit, sive quando aliquid in laudem ejus dicimus, sive quando aliquid de nostra miseria commemoramus, vel etiam quando aliquid, quod ad depressionem adversariorum nostrorum spectat, in medium adducimus. Dicamus igitur omnes illas Scripturas, quas quorundam opinio ad orationis usum non esse assumendas existimat, idcirco utiliter debere, et convenienter posse inter vota precum nostrarum ab orantibus recitari, quia in nobis affectum piæ devotionis excitant, et cor nostrum vel narrando laudem Dei ad ejus amorem provocant, vel nostram miseriam commemorando, ante conspectum ejus nos humiliant, vel malitiam adversariorum nostrorum exaggerando, et utilem nobis sollicitudinem et fiduciam coram ipso ampliore præstant. Laudem Dei in potentia et bonitate ejus cognoscimus. Miseriam nostram in hoc, quod fragiles et peccatores sumus. Malitiam adversariorum nostrorum quia et ad diripiendum sunt astuti, et ad opprimendum impii. Sive igitur laudem Dei bonitate ejus et potentia, sive miseriam nostram in infirmitate et culpa nostra, sive malitiam adversariorum nostrorum in tyrannide eorum et astutia, ad exercitationem mentis et augmentum bonæ devotionis orantes commemoremus, nihil ineptum facimus et per pium affectum quem ipsa nobis verba excitant, ubique orantes sumus. Ut enim breviter cuncta complectar, quotiescunque laudem Dei narramus, quæcunque sint verba quantumcunque prolixa, quid in his omnibus tamen intus cor nostrum nisi hoc unum loquitur, quod eum admirans amat, et amando admiratur? Similiter quando de nostra miseria coram eo orantes agimus, quæcunque sint verba, quantumcunque prolixa, quid in his cor nostrum dicit nisi hoc unum, quod confitemur nos misericordiam ejus quærere, et in eo omnem fiduciam nostram collocare? Quæ devotio quanto humilitati propinquior, tanto est Deo acceptabilior. Item cum adversariorum nostrorum malitiam in orationibus nostris coram Deo accusamus, qualiacunque sint verba quantumcunque prolixa, quid tamen aliud per hæc omnia quam justum judicium Dei ad nostri liberationem exposcimus, ut eripiat nos ab iis, quorum tyrannide injuste opprimimur, et quorum malitiam juste aversamur? Et quia ultionem de inimicis nostris, et judicium causæ nostræ divino ar-

bitrio libenter relinquimus, quid est quod pro hac humilitate et devotione juste a Deo impetrare non debeamus? Unusquisque ergo cum in oratione vel psalmos vel alias quascunque scripturas decantat, diligenter consideret cui affectui serviant, et ad illum affectum toto nisu cor suum excitet, ad quem id quod loquitur magis pertinere videt, quia si verborum quæ loquitur affectum habuerit, per affectum ipsum melius verborum virtutem cognoscet, et intelligentiam capiet, et per verborum intelligentiam in majorem devotionem affectum accendet.

CAP. VI. *Quantum gratus sit Deo fervens orantis affectus.*

Quantum autem affectus cordis bonus Deo placeat, humana nobis etiam consuetudo, quamvis vitiosa, quadam tamen virtutis imitatione demonstrat. Certe videmus adultores qualiter se erga illos, a quibus aliquid expetunt, devotos simulant. Sæpe procedentibus obviam eunt, in turba constitutos pomposis salutationibus honorant, transire volentibus viam præparant, alios locum dare jubent, dominos adventare proclamant, cathedras in medio constituunt, pulvinaria sternunt, pedibus provolvuntur. Ex antiquis historiis magnalia patrum replicant, etsi in eis non inveniunt quid laudent, priorum facta ad eorum laudem retorquent, se devotos, se fidos non solum dicunt, sed jurant, et quod esse nolint, hoc omni studio videri laborant. Nunquid putatis juste reprehendi possent, si essent quod non sunt, sed esse se fingunt? Si hoc malum esset ut tales essent, cur tantopere tales videri student? Imo vero si tales essent quales se fingunt et non sunt, vere laudabiles essent. Nec ob aliam causam eorum petitio ab hominibus sæpe respuitur, nisi quia tales non esse, quales se fingunt esse, sciuntur. Si ergo illi juste in suis precibus repelluntur, quia sciuntur tales non esse quales se esse fingunt: ut nos mereamur quod petimus a Deo percipere, quales illi se simulant, tales studeamus in veritate Deo nos exhibere. Ostendamus foris verbis, habere nos intus erga Deum affectum devotionis. Et non solum ostendamus, sed quod ostendimus habeamus. Ne, si solum ostendamus, non veri amatores sed adultores simus, et quia Deum ostentatione decipere non possumus, nosmetipsos potius decipiamus. Præterea sicut adultores simulatam devotionem priores offerunt, et per eam illorum, quos deprecantur, gratiam comparare volunt, sic et nos precibus nostris præveniamus faciem Domini, et ut mereamur obtinere quod petimus, non simulatam devotionem, sed veram charitatem offeramus. Beatificemus amicos Domini nostri, indignemur inimicis ejus, laudemus in eo potentiam, magnificemus pietatem, admiremur sapientiam, extollamus generositatem, approbemus æquitatem. Item narremus ei miseriam nostram, indicemus ei necessitatem nostram, indicemus et revelemus ei infirmitatem nostram, confiteamur ei culpam nostram, dicamus et credamus alium non esse, per quem

possimus eripi, per quem speremus liberari. Item ostendamus ei, adversariorum nostrorum demonum et perversorum hominum malitiam, crudelitatem, iniquitatem, tyrannidem, quod ei adversantur qui nos persequuntur, quod nobis hostes sunt, qui ei contradicunt, quod odimus quæ odit, quod diligimus quæ diligit. Malle nos propter eum odia inimicorum ejus perpeti, quam contra eum habere pacem eorum. Omnes igitur Scripturæ ejusmodi, quæ ad captationem faciendam congruunt, sive ipsa captatio per supplicationem, sive per postulationem, sive per insinuationem fiat, alienæ ab orationis usu habendæ non sunt, quia licet aliquæ illarum narrationes petitionem non habeant, habent tamen omnes affectus virtutum, quos in nobis accendunt, per quos qui orant citius, quam per vocis petitionem impetrant.

CAP. VIII. *De diversis affectuum modis, et quibus psalmis quisque adaptetur.*

Quia igitur in affectibus pietatis est omnis virtus orandi, enumeremus aliquot ex ipsis, et exemplis demonstramus, ut quia omnes enumerare non possumus (infiniti enim sunt affectus) quid tamen in omnibus laudabile sit, et Deo acceptum; ex quibusdam conjiciamus. Est affectus dilectionis, cum forte mens vel videns, vel reminiscens id quod amat, subito amoris igne corripitur. Est affectus admirationis, cum aliquid novum et admirabile contemplan in stuporem excitatur. Est affectus congratulationis, cum acceptabile aliquid et beneplacitum videns, quadam hilaritate perfunditur. Est affectus humilitatis, quando ex consideratione infirmitatis suæ ab elatione sua sponte comprimitur. Est affectus mœroris, quando ex consideratione malorum suorum quodammodo contabescens infirmatur. Est affectus timoris, quando ex consideratione imminentium pœnarum concutitur. Est affectus indignationis, quando in odium adversariorum ex ipsa iniquitatis eorum magnitudine inflammatur. Est affectus zeli quando ex amore justitiæ ad desiderium ultionis accenditur. Est affectus bonæ præsumptionis, quando ex nova aliqua et singulari fiducia ad vindicandum plus solito quidpiam animatur. De istis affectibus primi tres ad istud præcipue genus Scripturarum pertinent, in quo fit laudatio. Quia scilicet ex commemoratione bonitatis, surgit affectus dilectionis, ex commemoratione potentiæ et fortitudinis surgit affectus admirationis, ex commemoratione autem alicujus prosperi eventus et facti felicitis surgit affectus congratulationis. Tres sequentes ad illud genus pertinent, in quo fit commemoratio infelicitatis et miseriæ. Quia videlicet affectus humilitatis surgit ex commemoratione propriæ infirmitatis, affectus doloris surgit ex commemoratione malorum præsentium, vel ex recordatione præteritorum. Affectus timoris ex prævisione futurorum. Tres ultimi affectus illi magis Scripturarum generi congruunt, in quo fit invectio et accusatio in adversarios videlicet contra

A nequitiam illorum, indignatio contra injuriam, sæpius propter malitiam, major de Dei misericordia præsumptio. Exempla singulorum hæc sunt, ex affectu dilectionis canitur psalmus: *Diligam te, Domine* (Psal. xvii). Ex affectu admirationis canitur psalmus: *Domine Dominus noster* (Psal. viii). Ex affectu congratulationis canitur psalmus: *Omnes gentes* (Psal. xlii). Et in his omnibus est laudatio. Ex affectu humilitatis canitur psalmus: *In te, domine speravi* (Psal. xxx). Ex affectu doloris canitur psalmus: *Usquequo, Domine, oblivisceris?* (Psal. xii). Ex affectu timoris canitur psalmus: *Domine, ne in furore* (Psal. vi), et in his omnibus est mista quærelæ deprecatio. Ex affectu indignationis canitur psalmus: *Quid gloriaris in malitia* (Psal. li). Ex affectu zeli canitur psalmus: *Deus ultionum Dominus* (Psal. xciii). Ex affectu bonæ præsumptionis canitur psalmus: *Judica me, Domine, quoniam* (Psal. xxv), etc.

CAP. VIII. *Quod in eodem psalmo sæpius ab uno affectu in alium fiat transitus.*

Sciendum tamen est hanc proprietatem in omnibus psalmis non esse, ut per totam seriem unus affectus extendatur, sed sæpe de alio affectu fit transitus in alium, secundum quod mentes orantium diversis modis affici solent. Hoc autem qualiter per singulos cognosci possit explanare, prolixioris operis tractatum expetit. Volumus tamen hoc in aliquibus exempli causa demonstrare. Forte cogitare cœpi quanta sit felicitas esse cum Deo, quanta item sit miseria vivere in hoc sæculo, quanta demum calamitas semper cruciari in inferno, et ex hac meditatione mea subito amore cœlestis patriæ attractus, ipso affectu ducente in hæc verba decurro. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (Psal. i), cujus psalmi totam seriem si secundum intimum compunctionis sensum inquirimus, quid aliud nisi hoc ubique dicentem invenimus: Felices qui nunquam a Deo recesserunt, felices qui semper cum eo permanserunt, felices qui in ejus obsequio fideles et devoti perstiterunt? Nam infelices et miseri illi sunt, qui se ab illo elongaverunt, et cum illo perseverare noluerunt, vel qui post ad illum non redierunt. Gratias illi qui quantum perstiti, confusio mihi quantum discessi. Nunc autem quantum prope sum elongare nolo, quantum longe sum redire cupio, utinam ad illum perveniam, utinam ab illo nunquam recedam; *Adjuva me, Deus meus* (Psal. cviii). Affectus igitur iste dilectionis est surgens ex laudatione. Item exemplum alterius. Cogitavi mecum quanta esset potentia Dei, ac deinde admirari cœpi vesaniam hominum, qui mortales sunt, et tamen voluntati ejus obviare minime pertimescunt. Ex hac itaque admiratione compulsus sum exclamare et dicere: *Quare fremuerunt gentes* (Psal. ii), Et est admiratio mista indignationi, quia vesaniam admiramur, præsumptioni indignamur, vel certe in nobismetipsis dum foris assultus vitiorum crebros et importunos aspiciamus, et intrinsecus de Dei adjutorio præsumimus

ipsam tentationum nostrarum molestiam cum quadam indignatione arguimus dicentes: *Quare fremuerunt gentes?* Et est summa totius psalmi ad hoc tendens, ut per Dei potentiam confirmati insolentes adversitates contemnamus, et tanto nos adversariis nostris fortiores, quanto Deo viciniore sumus, præsumamus. Illorum interitum festinum attendamus. Dei magnificentiam contra eorum superbiam frangendam opponamus, cum omni reverentia animum nostrum ad obsequium illius subjiciamus semper supra nos admirantes ejus potentiam, infra nos despicientes eorum insolentiam. Hic est affectus admirationis indignationi mistus ex laudatione surgens. Sequentis psalmi series non secundum unum affectum textitur, sed sæpe de

A affectu in affectum transit, verbi gratia: *In angustiis constitutus* (*Psal. III*); quantum semper in Dei misericordia confidebam cogitare incipio, quia tamen quodammodo me ab eo derelictum video, ex affectu doloris in hæc verba prorumpo. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me* (*ibid.*). Rursumque ex affectu doloris in affectum bonæ præsumptionis recurrens aio: *Tu autem, Domine, susceptor meus es* (*ibid.*) Ut et mœrorem per fiduciam relevem, et fiduciam per mœrorem castigem. Et quis omnes virtutes psalmorum, quis illas ignitas compunctiones sanctorum affectuum enumerare loquendo potest? quibus mens in oratione accenditur, et gratissimum Deo sacrificium in ara cordis adoletur.

DE AMORE SPONSI AD SPONSAM.

Ibo mihi ad montem Myrrhæ et ad colles Libani, et loquar sponsæ meæ (*Cant. IV*). Sponsus quidam hic loquitur, qui sponsam habet, et spondet se visitaturum eam. Nota ergo quod non semper domi est sponsus iste, cavet enim forte ne vilescat amor suus, et quia citius in tedium veniret si semper præsens esset, ideo aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit, ut dum requiratur absens, strictius teneatur præsens. Et tunc forte aberat, quando hæc dicebat. Sed ne rursus longior mora aliquatenus oblivionem gigneret, redire disponebat, et ait: *Ibo mihi*. Secum loquitur quod facturum est, quia ad dicendum dulce est quod dulce est ad faciendum, et nescio quo pacto quod multum cupimus, nunquam loqui fastidimus. *Ibo*, inquit, *mihi*. Sibi vadit, quia singularis amor participem secreti non recipit. Sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, qui non patitur consortem amoris. Sed quæris quisnam sit iste talis sponsus, et quæ sponsa ejus? Sponsus est Deus; sponsa est anima. Tunc autem sponsus domi est, quando per internum gaudium mentem replet; tunc recedit, quando dulcedinem contemplationis subtrahit. Sed qua similitudine anima sponsa Dei dicitur? Ideo sponsa, quia donis, gratiarum subarrhata. Ideo sponsa, quia casto amore illi sociata. Ideo sponsa, quia per aspirationem Spiritus sancti prole virtutum fecundanda. Nulla est anima, quæ hujus sponsi arrham non acceperit. Sed est quædam arrha communis, quædam specialis. Communis arrha est quod nati sumus, quod sentimus, quod sapimus, quod discernimus. Specialis arrha est, quod regenerati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutum accepimus. Et quod quisque habet, hoc cuique arrha est. Arrha est divitiæ suæ, quibus fovetur, ne cum molestia pau-

B pertatis frangat. Arrha est pauperi paupertas sua, quæ castigatur, ne abundans per incontinentiam diffluat. Arrha est forti fortitudo sua, qua roboratur, ut ad bonum opus convalescat. Arrha est debili debilitas sua, qua frangitur, ne malum perficiat. Arrha est insipienti simplicitas sua, qua humiliatur, ne superbiat. Et omnino quidquid in hac vita humana fragilitas tolerat, hoc pius Conditor quantum in sua bonitate est, vel ad correctionem pravitatis, vel ad profectum virtutis dispensat. Ideo in omnibus gratias agere debemus, ut dum ubique ipsius misericordiam agnoscimus semper in ejus amore proficiamus.

Ibo, inquit, *mihi ad montem Myrrhæ, etc.* Myrrha, quæ amara est ad gustandum, et corpora mortuorum a putredine servat significat mortificationem carnis. Libanus, quod nomen interpretatur *decandidatio*, significat munditiam carnis. Hæc ergo est via, per quam Sponsus ad sponsam venit, mons Myrrhæ, et colles Libani, quia primum per abstinentiam concupiscentiam carnis occidit, deinde per munditiam cordis ignorantiam mentis abstergit. Postremo quasi tertio die ad colloquium sponsus veniens desiderio sui animam accendit, ideo convenienter dixit *montem Myrrhæ*, non *collis Myrrhæ*, et *colles* non *montem Libani*, quia in afflictione debemus esse constantes, et in successu virtutum humiles. Altitudo enim montis eminentiam significat magnanimitatis, et mediocritas collis temperantiam humilitatis. Item quod montem singulari numero posuit, et colles plurali, significat quod in mortificatione exterioris delectationis parum est quod perdimus; et in illuminatione mentis intrinsecus multiplex est bonum, quod invenimus. In monte Myrrhæ accipimus fortitudinem contra carnis concupiscentiam. In collibus Libani accipimus illuminationem mentis contra ignorantiam. In colloquio

i accipimus charitatem contra malevolentiam A
lis obdurationem. Potentia ad Patrem, sa-
a ad Filium, charitas appropriatur ad Spiritum
unctum. Quando enim ex fragilitate pecca-
peccamus in Patrem, quasi contra potentiam.
lo ex ignorantia peccamus, peccamus in Fi-
quasi contra sapientiam. Quando vero ex
olentia peccamus, peccamus in Spiritum
um, quasi contra dilectionem. Ideo peccare
rem et Filium hic, sive in futuro remittitur,
qui ex fragilitate vel ex ignorantia peccat,
aliquam excusationem habet in culpa, ita
aliquam remissionem habere debet in pœna,
hoc sæculo si pœnituerit, ut facilius conse-
r indulgentiam, sive in futuro sæculo, si in
perseveraverit, ut tolerabiliorem sentiat pœ- B
Qui vero ex malitia peccant, eorum pecca-
nullam habet excusationem, et ideo pœna
i remissionem habere non debet, quia, sive
uerint in hoc sæculo, plena satisfactione
andi sunt, sive non pœnituerint plena dam-
ie in futuro sæculo puniendi, et ideo hi
æc hic, nec in futuro sæculo remissionem
unt, non quia pœnitentibus venia deneged
ed quia pleno peccato plena retributio de-
r.

uar, inquit, sponsæ meæ. Duobus modis
ur Deus ad animam. Aliter ad fornicariam,
er ad sponsam. Aliter ad fœdam, aliter ad
ram. Aliter ad peccatricem, aliter ad justifi-
i. Illius fœditatem increpat, hujus pulchritu- C
i laudat. Illam increpando timore concutit.
laudando ad amorem accendit. Illi loquitur,
lo ei maculas suas ostendit : isti loquitur,
lo dona quæ contulit ei ad memoriam redu-
ius tenebras illuminat, ut agnoscat quid sit,
leat quod fecit ; istam affectu dulcedinis in-
tangit, ut recolat quid accepit et non obli-
ur eum qui dedit. Loquar, inquit, sponsæ
Si ego Sponsus sum, si ad sponsam locutus
scitote quod præter amorem nihil loqui
m. Postquam igitur hæc secum dixerat spon-
continuo iter arripuit : veniensque et videns
am mox quasi ex ejus specie in admiratio-
ractus in hæc verba prorupit. *Tota speciosa
roxima mea (ibid.) [tota pulchra es, amica
etc.], etc, vel cum præcedenti hoc conjungi- D
Loquar sponsæ meæ, sic scilicet, tota speciosa
roxima mea, etc. Sed illud gratius accipitur :
peciosa es, proxima mea ; ideo tota speciosa,
roxima ; si non esses proxima, non esses tota
osa. Videte quid dixerit ; *Tota, inquit, specio-
proxima mea. Omnis anima vel aversa est
i, vel conversa ad Deum. Aversarum autem
est remota, alia remotissima. Conversarum
alia propinqua, alia proxima. Quæ remota
urpis quidem est, sed non tota. Quæ remotis-
est, tota turpis est. Item quæ propinqua est,
osa est, sed adhuc non tota ; quæ proxima est,
speciosa est. *Tota speciosa es, proxima mea.
cula non est in te (ibid.). Totus speciosus***

est, cui nihil deest pulchritudinis. Totus speciosus
est, cui nihil inest turpitudinis. Ego totus speciosus
sum, quia omne quod pulchrum est in me est. Tu
tota speciosa es, quia nihil quod turpe est in te
est. *Macula non est in te. Veni ad Libanum [de
Libano], speciosa. Invitat eam et vocat, quia et
ideo ad eam venit, non ut cum illa permaneret,
sed ut illam ad se traheret. Veni ad Libanum
veni ad Libanum, venies [veni], coronaberis (ibid.).
Bis invitando dicit : Veni ; tertio affirmando sub-
jungit : Venies. Sed hæc quid est affirmatio nisi
congratulatio, qua bono proposito nostro congau-
det ? Ac si diceret : Obedientiam laudo, proposi-
tam Deo devotionem non ignoro. Voco et respon-
des, invito et parata es. Ergo venies. Sed quare
dicit bis, Veni ? Ut qui extra se est primum ad se
redeat, qui in se est supra se ascendat. Primum in
nobis est, et prævaricatores ad cor redire monet,
deinde supra nos est, ut justificados ad se invitet.
Veni, inquit, veni. Veni foris intro ad te. Veni in-
tus, interius, et plane intrinsecus supra te ad me.
Veni ad Libanum, sponsa, veni ad Libanum. Veni
de Libano de candidato ad Libanum non decandidatum, sed
candidum. Veni de corde mundato ad mundato-
rem cordium, non mundatum, sed mundum. Non
pervenis ad me si remanes in te, ascende supra te
et invenies me. Venies, et transibis ad montem Seir,
vel Savir (ibid.). Seir interpretatur hispidus vel
pilosus. Savir vero nocturna avis vel fetor, et Seir
idem qui et Edom, id est Esau. Esau et Jacob duo
erant fratres, Esau prior natus, sed postea nato
Jacob supplantatus. Esau venator et studiis agre-
stibus deditus fuerat ; Jacob, vir simplex, domi ha-
bitabat. Quid autem hi duo fratres nisi duos motus,
qui in homine sunt, designant, hoc est concupis-
centiam carnis et spiritus ? Scimus autem quod
dicit Apostolus. Non prius quod spirituale, sed quod
carnale est, prius est. Hoc est Esau prius nascitur.
Cum vero concupiscentia spiritus roboratur, tunc
concupiscentia carnis marcescit. Hoc est Esau a
postgenito Jacob supplantatur. Item concupiscentia
carnis quasi Esau venator foris pascitur, concupis-
centia vero spiritus quasi Jacob vir simplex intus
delectatur. Est ergo Seir pilosus carnis motus tur-
pis et indecorus. Et bene pilosus, quia, sicut pilus
in carne radicem figit, sed excrescendo carnem
excedit, ita carnis motus de necessitate oritur, sed
excrescendo in voluptatem usque profluit. Et
quemadmodum pilus præcidi sine dolore potest,
evelli sine dolore non potest, sic appetitus carnis,
quantum, ad superfluitatem pertinet quasi extra
sensus carnis, sine detrimento præciditur, sed
quantum ad necessitatem spectat, quasi intra car-
nem sit, non sine detrimento extirpatur. Ecce di-
ximus quid sit Seir ; nunc quid sit mons Seir videamus.
Habet enim Seir iste montem, habet et val-
lem ; et (ut plus dicam) habet montem, habet cam-
pum, habet vallem ; sed in valle est debilis ; in cam-
po est fortis, in monte insuperabilis. Seir in monte
est appetitus carnis in necessitate ; Seir in campo*

est appetitus carnis in satietate; Seir in valle est appetitus carnis in voluptate. Quando ad vivendum tantum caro sustentamentum accipit, Seir in monte est. Quando vero ad robur nutrimentum quærit, Seir in campo est. Quando autem ad lascivendum delicias poscit, Seir in valle est. Quare ergo in monte insuperabilis est? quia sustentamentum carnis in hac adhuc mortalitate degentibus necessarium est. Quare in campo fortis? quia et robur carnis aliquando profectibus animæ utile est. Quare in valle debilis, quia voluptas carnis semper superflua est. In valle prohibetur, in campo conceditur, in monte remuneratur. In valle servit, in campo pugnat, in monte regnat. In valle est luxuria, in campo est temperantia, in monte parcimonia. In valle adjuvante gratia facile calcatur, in campo cum difficultate vincitur, in monte ne superari valeat, ipse ei quotidianus noster defectus vires jugiter subministrat. Qui superflua resecat, Seir in valle conculcat. Qui vero de necessariis aliquid minuit, Seir in campo vincit. Qui autem ad sustentamentum tantum naturæ necessaria tribuit, quasi Seir in monte exactiori obsequium reddit. Sciendum tamen quod Seir iste ibi sine difficultate vincitur, ubi periculosissime dominatur: ubi vero prorsus insuperabilis est, ibi sine periculo tolerari potest. Si vero legatur Seir, quod interpretatur *nocturna avis*, vel *fetor*, ad eundem carnalem motum congrue referri potest. Qui vel ideo nocturna avis dicitur, quia occultus venit, dum sub specie necessitatis irrepit voluptatis illecebri, vel quia per delectationem carnis nascitur excecatio mentis. Nocturna ergo avis est occultus et improvisus motus carnis. Quare vero concupiscentia carnis fetor dicatur, hoc jam expositione non indiget. *Et Hermon.* Hermon interpretatur *anathema ejus*. Cujus ejus; ipsius anathematis. Ergo quasi anathema diceretur anathematis. Primum ergo nobis quærendum quid sit anathema, deinde quid sit anathema anathematis adjungendum. Anathema est separatio; anathema anathematis, separatio separationis. Et fortasse si separatum esse malum sit, tum separatum esse a separato bonum erit. Quis autem melius potest dici anathema quam apostata angelus? qui se primum per superbiam a societate supernæ illius civitatis separavit, ex demerito prævaricationis suæ, dum vero capitis membrum esse noluit ab unitate corporis illius præcisus, caput iniquorum omnium factus est. Constat autem quod omnis homo secundum primam generationem, qua in peccato concipitur, et in peccato nascitur, hujus capitis membrum est, et ad illius societatem pertinet; sed quisquis, per sacramenta fidei regeneratus membrum Christi efficitur, ab unitate hujus corporis separatur. Quis est ergo anathema, nisi diabolus et membra ejus? et qui sunt anathema anathematis, si qui separati a corpore diaboli, facti sunt membra Christi. Quid significet Hermon jam diximus; nunc quid significet mons Hermon videamus. Nam, quemadmodum supra de Seir di-

ctum est, ita et nunc de Hermon dici potest, quod videlicet alii sunt mons Hermon, alii campus Hermon, alii vallis Hermon. Vallis Hermon dici possunt, qui per fidem quidem a diabolo jam separati sunt, sed adhuc per vitam carnalem in infimis desideriis prostrati jacent. Campus Hermon sunt hi fideles qui, medium quemdam statum tenentes, nec per voluptatem carnis in imo depressi sunt, neque per spiritualem conversationem ad superna erigi possunt. Mons vero Hermon sunt ii, qui non solum per fidem a diabolo sunt separati, sed etiam per eminentiam virtutis, et per constantiam mentis contra diabolum sunt erecti. Et hi profecto sunt, quibus antiquus hostis magis invidet, quos non solum a se divisos, sed etiam contra se erectos videt. Hi sunt ergo, quos jugiter persequendo opprimere nititur, quos et a se recessisse, et contra se stare conspicatur. Isti ergo tanto graviores tribulationes sæpe sustinent, quanto magis communem omnium hostem sibi singulariter infestum habent. Nihil ergo melius per montem Seir quam parcimoniam, nihil melius per montem Hermon quam patientiam sanctorum accipimus. Sequitur deinde: *A cubilibus leonum (Cant. iv)*. Quid per cubilia leonum nisi (ut ita dicam) sopita crudelitas intelligitur? Et quid est sopita crudelitas, nisi carnis voluptas, quæ imprudens quos nunc quidem delectat per experientiam, post vero cruciat, prius per conscientiam, deinde per pœnam. Attende quomodo nunc in delectatione carnalis voluptatis dormit venturæ damnationis pœna. *Favus*, inquit Salomon, *distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absinthium, et lingua ejus acuta quasi gladius biceps (Prov. v)*. Et rursum *Si quis est parvulus, declinet ad me; et vecordi locuta est. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit, quod gigantes ibi sunt, et in profundis inferni convivæ ejus (Prov. ix)*. Et Dominus ad beatum Job de antiquo hoste loquens, ait: *Sub umbra dormit in secreto oculami, in locis humentibus (Job: xl)*. In illis enim mentibus diabolus pausat, quæ intus a calore divini amoris frigidae foris natant in fluxu carnalium voluptatum, quæ oblectamenta nunc quidem mollia videntur per experientiam, post vero crudelia sentientur per pœnam. Nunc siquidem leo cubat et dormit, quia mentibus carnalium nunc per delectationem peccati diabolus blandum se simulans nondum qualis futurus sit, ostendit. Sed tunc evigilare incipiet, quando eos, quos illicitis nunc delectationibus seducens spontaneos tenet in culpa, post aperte sæviens invios trahet ad tormenta. Sequitur: *A montibus leopardorum (Cant. iv) [de molibus pardorum]*. Leopardus a leone et pardo procreatur. Leo crudelis est, et pardus maculosus. Sic ergo leo propter crudelitatem dæmones, pardus propter varietatem congrue hæreticos designat, qui cum unitatem fidei diversis et perversis dogmatibus scindunt, quasi quibusdam maculis corpus infectum gerunt. Qui sunt ergo

leopardi nisi superbi amatores hujus sæculi, quos primum diabolus per doctrinam hæreticorum ad perfidiam generat, ac deinde per hujus mundi amorem ad vitia inflamat? Montes leopardorum divitiæ sunt et pompæ hujus sæculi, in quibus se pravi extollunt, et electorum vitam acrius insectantur, quando eos in hoc sæculo abjectos, et se sublimes aspiciunt. Bene ergo dicitur ad sponsam: *Venies, et transibis ad montem Seir, et Hermon a cubilibus leonum, a montibus leopardorum.* Sed quid est *de cubilibus leonum ad mon-*

tem Seir, nisi de incontinentia ad castitatem, de voluptate ad parcimoniam: Et quid est *de montibus leopardorum ad montem Hermon,* nisi de superbia ad humilitatem, et de crudelitate ad patientiam? Et nota quod dixit de cubilibus non de cubili, de montibus non de monte, et ad montem non ad montes. De cubilibus ergo ad montem, de montibus ad montem, hoc est de multis ad unum progredimur, quia quanto magis mundum fugiendo Deo appropinquare incipimus, tanto magis in unum congregamur. Quod nobis, etc. Amen.

DE MEDITANDO SEU MEDITANDI ARTIFICIO

OPUSCULUM AUREUM.

Meditatio est frequens cogitatio modum, et causam et rationem uniuscujusque rei investigans; modum quid sit, causam quare sit; rationem quomodo sit. Tria sunt genera meditationum, unum in creaturis, unum in scripturis, unum in moribus. Primum surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione. In primo admiratio quæstionem generat, quæstio investigationem, investigatio inventionem. Admiratio est dispositionis, quæstio causæ, investigatio rationis. Dispositio est in cælo cuncta æqualia, in terra alta et depressa: pro hac admiratio. Causa, propter vitam terrenam terra, propter vitam cælestem cælum: pro hac quæstio. Ratio, qualis terra, talis vita terrena; quale cælum, talis vita cælestis: pro hac investigatio. In lectione autem sic considerandum. Primo lectio ad cognoscendam veritatem materiam ministrat, meditatio coaptat, oratio sublevat, operatio componit, contemplatio in ipsa exsultat. In Scripturis meditatio est, quomodo scire oporteat. Exemplum scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum (Psal. xxxvi).* Accedit meditatio lectioni, quare dixit prius, *declina a malo,* et postea *fac bonum.* Causa quia nisi prius mala recedant non adveniunt bona. Ratio, sicut prius mala germina eradicantur, postea plantantur bona. Item quare dixit: *Declina a malo?* Quia in itinere occurrunt. Item *declina,* quia ubi fortitudine resistere non possumus, consilio et ratione declinando evadimus. Item declinamus mala vitando materiam peccati, ut pro superbia, divitias, pro incontinentia abundantiam, pro concupiscentia speciem carnis, pro invidia et contentione vitanda amorem possessionis. Hoc est declinare. Item, si quemadmodum omne malum declinandum præcipitur, sic omne bonum faciendum jubetur. Et sicut qui non omne malum declinat, sic qui non omne bonum facit, reus est. Sed si sic est quis non est reus? Ergo ab omni malo declinare jubemur. Bona autem quædam sunt necessitatis, quædam voluntatis.

Necessitatis sunt quæ sunt in præcepta et voto; de cæteris si quid supererogatur redditur, si nihil non imputatur. Item meditatio in lectione est, quomodo sint quæ sciuntur quia sunt, te quomodo facienda sunt. Est enim meditatio exco-gitatio consilii quomodo implentur quæ sciuntur, quia inutiliter sciuntur nisi impleantur. Item, meditatio in lectione est triplieis considerationis. Secundum historiam, allegoriam, tropologiam. Secundum historiam est, quando eorum quæ facta sunt rationem vel quærimus, vel admiramur suis temporibus, et locis, et modo congruo perfectam. In hac consideratio judiciorum divinorum meditantem exercet, quæ nullis temporibus recta defuerunt et justa, quibus factum est quod oportuit, et redditum quod justum fuit. Secundum allegoriam meditatio operatur in dispositione præcedentium, futurorum significationem attendens mira ratione et providentia coaptatam sicut oportuit ad intelligentiam, et fidei formam fabricandam. In tropologia meditatio operatur quem fructum dicta afferant, exquirens quid faciendum insinuent, vel qui doceant esse vitandum; quid ad eruditionem, quid ad exhortationem, quid ad consolationem, quid ad terrorem scripturæ lectio proponat, quid ad intelligentiam virtutis illuminet, quid nutriat affectionem, quid formam vivendi ad iter virtutis edoceat.

Meditatio in moribus secundum affectus, et cogitationes, et opera. In affectibus considerandum est ut sint recti, sinceri, hoc est ad id ad quod debent esse, et quomodo debent esse. Diligere enim quod non oportet malum est, et similiter quod diligere oportet, diligere quomodo non oportet, malum est. Itaque bonus affectus est, quando est ad id, ad quod debet et quomodo debet. Amnon sororem dilexit, et erat affectus ad quod debuit, sed quia male dilexit, non erat quomodo debuit (II Reg. xiii). Igitur affectus esse potest ad id, ad quod debet et non quomodo debet. Nunquam autem esse potest quomodo

debet, nisi ad id ad quod debet. In eo ad quod debet rectus, et quomodo debet sincerus. In cogitationibus considerandum, ut sint mundæ et ordinatæ. Mundæ sunt, quando neque de malis affectionibus generantur, neque malas generant affectiones. Ordinatæ sunt, quando rationabiliter, hoc est tempore suo adveniunt. Tempore enim non suo etiam bona cogitare sine vitio non est, ut in lectione de oratione, et in oratione de lectione. In operibus considerandum est primum, ut bona intentione fiat. Bona intentio est, quæ simplex est, et recta. Simplex sine malitia. Recta sine ignorantia. Quæ enim sine malitia est, zelum habet. Sed quæ ignorantia est secundum scientiam, zelum non habet. Itaque intentionem oportet esse et rectam per discretionem, et simplicem per benignitatem. Secundo in operibus considerandum est, ut ex recta intentione inchoata cum perseveranti fervore ad finem perducantur, ut nec perseverantia torpeat, nec amor tepescat. Item meditatio in moribus duplici consideratione discurrit, intus et foris. Foris ad famam, intus ad conscientiam. Foris, quid deceat, et quid expediat: deceat ad exemplum, expediat ad meritum: nobis ad meritum, proximis ad exemplum. Intus ad conscientiam, ut sit munda conscientia, nec accusationem patiat, vel pro torpore boni, vel pro presumptione mali. Munda autem conscientia est, quæ nec de præterito juste accusatur, nec de præsentibus injuste delectatur.

Item in moribus meditatio considerationem suam exercet, ut omnes motus qui oriuntur in corde deprehendat, unde veniant et quo tendant. Unde veniant secundum originem, quo tendant secundum finem. Omnis enim motus de aliquo est, et ad aliquid. Motus igitur cordis aliquando manifestam habent originem, aliquando occultam, et quæ manifesta est aliquando manifeste bona est, aliquando manifeste mala. Quæ manifeste bona est a Deo est; quæ autem manifeste mala, sive a diabolo est, sive a carne. Isti enim tres auctores sunt omnium suggestionum, et omnes aspirationes, quæ invisibiliter cordi adveniunt, ab istis procedunt. Item quæ occulta sunt, aliquando bona sunt et occulta, aliquando mala, et dubia. Et quæ bona sunt, a Deo sunt; quæ autem mala sunt, vel a diabolo, vel a carne sunt. Quæ igitur manifesta sunt, sive bona, sive mala, a prima sua origine judicantur. Quæ autem dubia sunt in origine, probantur a fine. Exitus enim manifestat quod a principio celabatur, et propterea qui motus suos a principio judicare non potest, finem investiget et consummationem. Quæ enim dubia sunt vel incerta, bona sunt vel mala occulta. Et quæ mala sunt, sicut dictum est, vel a diabolo, vel a carne sunt. Et sunt mala utraque, nec differunt in eo quod mala sunt, sed differunt, quoniam quæ a carne sunt, frequentius surgunt propter necessitatem, quæ vero a diabolo sunt, sæpius oriuntur præter rationem. Quod enim a diabolo suggeritur, sicut alienum est ab homine, ita recenter alienum est ab humana ratione, ut, verbi

gratia, nuper satiatus famem patiat, paulo ante inebriatus siti æstuet, post longam dormitionem concurrens somno pergravetur. In hoc ergo opera diaboli discernuntur, quoniam extranea sunt ab homine, et aliena ab humana ratione. Opera autem carnis, et suggestiones ejus sæpius præcedentem habent causam necessitatem. Sed quia modum et mensuram transeunt, excrescunt in superfluitatem. Ut verbi gratia cum post famem cibus sumendus immoderate appetitur, et post abstinenciam in sumendo edulio mensura non tenetur. Item meditatio morum triplici judicio exercetur. Primo quod judicat inter diem et noctem. Secundo quod judicat inter diem et diem. Tertio quod judicat omnem diem. Inter noctem et diem judicare, est mala a bonis dividere. Inter diem et diem judicare, est inter bonum et melius discretionem habere. Omnem diem judicare, est singula bona pro merito suo æstimare. Item meditatio morum finem et directionem in omni conversatione considerat. Finis est, ad quod tenditur. Directio, qua facilius pervenitur. Omnis enim, qui ad aliquid tendit, secundum aliquid cursum suum dirigit, et qui directius pergit, citius pervenit. Sunt enim quædam bona, in quibus etiam multum moveri parum est. promoveri. Alia compendioso labore fructum magnum adducunt. Et hæc ergo discernenda sunt, et eligenda magis, quæ magis prosunt. Quæcunque enim magis prosunt, meliora sunt, et omne opus secundum fructum suum judicari oportet. Multi hanc discretionem non habentes, plurimum laboraverunt, et parum profecerunt, quoniam oculum habuerunt foris tantum ad speciem operis, et non intus ad fructum virtutis. Gavisus sunt enim magna se facere, magis quam utilia exercere, et dilexerunt potius illa, in quibus videri possent, quam emendari. Item meditatio in moribus primum considerat quæ debita sunt, sive ex præcepto sive ex voto, et ea primum agenda judicat, quæ sic facta habent meritum, ut non facta generent reatum. Hæc ergo primum faciendæ sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, ut debitum non impediatur. Alii volunt quod non debent, qui non valent id quod debent. Alii, et si valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item meditatio morum duo mala in bona actione præcipue cavenda considerat, hoc est afflictionem et occupationem. Afflictio est ad amaritudinem. Occupatio ad dissipationem. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur. Per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his, quæ non valet per impatientiam uritur. Occupatio est, quando in his (quæ valet) agendis per impatientiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat: ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat. Item meditatio morum alia consideratione formam vivendi dijudicat probans nec bonum esse ea, quæ non fiunt, impatienter appete-

tere, nec bonum esse ea, quæ fiunt, insipienter fastidire. Qui enim semper quod non facit appetit, et quod facit fastidivit, nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur. Inchoata enim ante consummationem deserit, et inchoanda ante tempus apprehendit. Propterea bonum est bono suo esse contentum, et præsentia bona supervenientibus bonis augere, non pro futuris abjicere. Levitas enim est bonorum commutatio, exercitatio autem vir-

A tutis, multum diversa currunt via, qui pro novis vetera abjiciunt, et qui ab inferioribus ad superiora conscendunt. Qui enim mutationem quærit, fastidiosus est sicut qui profectum appetit, studiosus est. Rectissime ergo incedit, qui sic est fervens ad melius, ut in bono non sit fastidiosus, sed sustineat prius, donec posterius tempore suo apprehendat.

DE FRUCTIBUS CARNIS ET SPIRITUS.

CAP. I. De tribus virtutibus theologis, et quatuor cardinalibus ex humilitate nascentibus. — CAP. II. De parium inter se et cum imparibus collatione, ut virtutum cum virtutibus, vitiorum cum vitiis, ac virtutum cum vitiis — CAP. III. De superbia, et ejus comitibus. — CAP. IV. De vana gloria, et ejus comitibus. — CAP. V. De invidia, et comitibus ejus. — CAP. VI. De ira, et comitatu ejus. — CAP. VII. De tristitia, seu acedia, et comitatu ejus. — CAP. VIII. De avaritia, et comitatu ejus. — CAP. IX. De ingluvie ventris, seu gula, et de comitatu ejus. — CAP. X. De luxuria, et comitatu ejus. — CAP. XI. De humilitate, et ejus comitibus. — CAP. XII. De prudentia, et comitatu ejus. — CAP. XIII. De justitia, et comitatu ejus. — CAP. XIV. De fortitudine, et comitibus ipsius. — CAP. XV. De temperantia, et ejus comitibus. — CAP. XVI. De fide, et ejus comitibus. — CAP. XVII. De spe, et ejus comitibus. — CAP. XVIII. De charitate, et comitatu ejus. — CAP. XIX. De dilectione, et ejus ratione duplici.

PROLOGUS.

Cum omnis divinæ paginæ sermo id intendat, ut homini bonum humilitatis persuadeat, et superbiæ malum declinandum attentius suadeat, præsertim cum in altero salutis et vitæ, in altero ruinæ principium sit, necessarium videtur ipsius humilitatis et superbiæ fructum et efficaciam quasi formam quamdam visibilem virtutum cultori facie tenus ostendere, quatenus alterutrius speciei, superbiæ, vel humilitatis imitator cognoscat ex fructuum qualitate, quid mercedis assequatur ex utriuslibet executione. Duas itaque arbusculas fructu et ascensu dissimiles, et rudi, et novello cuilibet converso, adjunctis vitiorum sive virtutum paucis definitiunculis proponimus, ex quarum radice fructuum proventus pateat, et quæ arbor ex duabus eligenda sit allectus fructu discernat. Et quidem superbia fructus carnis radix est, fructus spiritus humilitas. Quæ diversitas inspecta radicum, fructum earum moderabiliter quærentis appetitum ostendit. Denique vetus Adam se collocat in arce vitiosæ arboris. Novus Adam principatum obtinet proventus spiritualis. Si ergo præstantius deteriori, id est bonum malo altrinsecus conjunxeris, quod in his emineat, quod præponderet valenter intellexeris. Collatis enim qualitatibus contrariorum cito meliorum æstimatio patèbit. Perspectis igitur radicibus ramis et fructibus nostris arbitrii tui sit eligere quod volueris.

CAP. I. De tribus virtutibus theologis, et quatuor cardinalibus ex humilitate nascentibus.

Cunctarum enim, ut prædictum est, virtutum fundamentum est humilitas, quia omnis qui se hu-

B miliat exaltabitur (Luc. xiv). Et pauperibus spiritu regnum cælorum aperitur (Matth. v). Prima autem virtutum humilitati fides accedit, quia impossibile est sine fide placere Deo; et justus ex fide vivit (Hebr. xi). Sed fide quid profecis spe non quæris quod fide complecteris? Quod enim nondum videmus speramus et spes non confundit. (Rom. v). Quia vero sperando amamus quod jam fide tenemus, spei charitas succedit et sic fides, quæ per dilectionem operatur, recte procedit. Qualiter autem istæ tres virtutes, id est spes, fides, charitas distinguendæ, tenendæque sint prudentia docet et informat. Justitia ornat et consummat. Fortitudo retinet et roborat, et ne excurrant in nimia et ne incompetenter intra suos terminos coarctentur, temperantia moderatur et discernit. Si ergo has quatuor virtutes addas tribus superioribus, septenarius iste virtutum numerus plenitudinem septiformis gratiæ suis exsecutoribus adducit, per quam vitiorum compago dissolvitur, corpus diaboli superatur, et per semitam justitiæ fons et origo virtutum omnium aditur.

CAP. II. De parium inter se et cum imparibus collatione, ut virtutum cum virtutibus, vitiorum cum vitiis ac virtutum cum vitiis.

Si adjunxeris similia similibus, partium æqualitas utriusque partis excellentiam perhibet. Si vero dissimilia contuleris, magis patet diversitas alterius. Sicque conjunctio parium differentiam arcet partium singularum, et diversa qualitas utriusque crescere videtur ex utroque. Confer album nigro, sapientem stulto, superbum humili, malum bono, et ex ipsis contrariis distantibus argumentum propriæ